

# EPISTULA LEONINA

## CXLIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUADRAGESIMAM TERTIAM (143) !**

## ARGUMENTA

<b>DE URSO IRACUNDO (Hannes Demming).....</b>	<b>04</b>
<b>DE FRAUDE CLIMATICA (pars V).....</b>	<b>05-20</b>
<b>1. Apocalypsis retardata (Alex Reichmuth).....</b>	<b>08-11</b>
<b>2. De climatologia (Vince Ebert).....</b>	<b>12-14</b>
<b>3. Tamen non est ab hominibus effecta ! (Alex Reichmuth).....</b>	<b>15-20</b>

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quadragesimam tertiam.*

*Ioannes Demming histrio octogenarius lepidissimum nobis misit carmen more Phaedriano compositum. Nec deest his bellulis versiculis quaedam sapientia: mutato nomine plus minusve haec fabula narratur de nobis omnibus.*

*Addidi quintam iam partem **Fraudis Climaticae**: ne lamenteris de longâ serie, cara Lectrix, care Lector. Nam in rebus climatocraticis sub praetextu mundi servandi agitur de pecuniâ necnon de libertate, quae surripiuntur miseris civibus ignes et abundationes universales timentibus. Noli oblivisci: Magis quam circumiecta periclitatur nostra libertas !*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 143 tolle et lege et laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat**  
**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**  
**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**  
**die Mercurii, 18. m.Oct., a.2017**




## **NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT**

**GELLIUS, Noctes Atticae 13,11,1 ...nescis, quid vesper serus vehat. cfr id. 1,22,4 M. Varro in satura, quae inscripta est nescis quid vesper ferat. cfr LIVIUS, Ab urbe condita 45,8,6 Quid vesper ferat, incertum est. cfr VERGILIUS, Georgica 1,461sq. Denique quid vesper serus vehat...sol tibi signa dabit.**

# DE URSO IRACUNDO

*Carmen Phaedrianum a Iohanne Demming pactum*



**ursus gavisus invento alveario,  
 ursi ut solent, gustare voluit dulce mel.  
 tunc pupugit eius rictum apis tam fortiter,  
 ut alveare laceraret statim furens.  
 mox autem fecisse hoc paenituit bestiam,  
 cum turba apum tractaret saeva sic eum,  
 ut toto acciperet turpia puncta corpore.  
 plagis permultis insuper vexatus est  
 a rustico, qui illum conspexit. ilico  
 „utinam tuissem primum punctum! vellem ego!  
 si non tam stulte oblitus essem“, inquit, „mei,  
 nunc non – heu me – torquerer sic dupliciter!“**


**qui parvulum dolorem non vult perpeti,  
 levem cavillam clava crassa ulciscitur,  
 graviorem poenam solvit hic saepissime.**

**HOS VERSUS PEPIGIT  
 IOANNES DEMMING  
 HISTRIO MONASTERIENSIS**



## ET MITTUNT EOS IN CAMINUM IGNIS. IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM.

MATTHAEUS 13, 41sq. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.



# DE FRAUDE CLIMATICA (V)<sup>1</sup>



SCANDALO SCIENTIARUM OMNIUM MAXIMO

NECNON SCANDALO OECONOMIAE

PAEDAGOGIAEQUE

ALIIS LUCROSO ALIIS DAMNOSO

**MUNDUS VULT DECIPI:  
ERGO DECIPIATUR.**

PARS QUINTA (V)

---

<sup>1</sup> fraus \*climatica i.q. angl. *climate swindle*; theod. *Klimaschwindel*.

»Scientistae<sup>2</sup> nequaquam inter se consentiunt mutationem climatis<sup>3</sup> ab hominibus effici. His mille scientistis duo intersunt Germani, Professor Gerlich et ego ipse, qui scripserunt commentationem, c.t. *Falsificatio physica effectuum thermocepitorum*<sup>4</sup>, qui in atmosphaerâ fieri dicuntur propter carboneum dioxydatum<sup>5</sup>. Nulli sunt mechanisimi physici, quibus carboneum dioxydatum vim habeat ad clima mutandum, et sententia, secundum quam temperatura terrae media dicatur augeri posse carboneo dioxydato ab hominibus emisso, ratione scientificâ non solum non demonstrari potest, sed est etiam f a l s a ...immo equidem ipse non dubito quin hac (*sententiâ publicê comprobâtâ*) scandalon scientiarum effectum sit maximum omnium temporum... Necnon agitur de scandalo politico, oeconomico, paedagogico uno ex maximis – paedagogicum quoque est eo, quod in scholis discipuli imbuuntur rebus falsis...«

**Ralf D. TSCHEUSCHNER<sup>6</sup>**

**Physicus Germanus**

»Aliquot centum miliardae dollariorum profusae sunt, ut hominibus theoria globalis calefactionis anthropogenae imponeretur, quae non sequitur ex indiciis physicis. Haec theoria hominibus vehementer imposita est fabularum horrificarum inculcatione, quae incipit fieri iam in ludi litterarii libris legendis«<sup>7</sup>.

**Geraldo Luis LINO**

**Geologus Brasilianus**

<sup>2</sup> \*scientista, -ae m. i.q. theod. *Wissenschaftler*.

<sup>3</sup> theod. *Klimawandel*

<sup>4</sup> effectus \*thermocēpicus i.e. theod. *Treibhauseffekt*. cfr. ngr. θερμοκηπίον i.q. theod. *Treibhaus*.

<sup>5</sup> carbōneum dioxydātum i.q. theod. *Kohlen(stoff)dioxyd*.

<sup>6</sup> orig.: Prof.Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER <https://www.youtube.com/watch?v=4xep6MvyUT8>

"Es kann von einem Consensus über den menschengemachten Klimawandel keine Rede sein. Unter diesen 1000 Wissenschaftlern sind 2 Wissenschaftler aus Deutschland, Prof. Gerlich und meine Person, die eine Arbeit geschrieben haben: Die Falsifizierung der atmosphärischen CO2-Treibhauseffekte im Rahmen der Physik. Es gibt keine physikalischen Mechanismen, nach denen CO2 (Kohlensäure) das Klima beeinflussen könnte, und für die Behauptung, dass die von Menschen verursachten CO2-Emissionen die mittlere Temperatur der Erde erhöhen könnten, gibt es nicht nur keine wissenschaftlichen Beweise, sondern sie ist auch f a l s c h ...Ich würde sogar ganz persönlich davon ausgehen, dass es sich um den größten Wissenschaftsskandal aller Zeiten handelt. ... Es ist auch einer der größten politischen, wirtschaftlichen und pädagogischen Skandale - pädagogischen Skandale deshalb, weil den Schülern in den Schulen Falsches beigebracht wird..."

<sup>7</sup> „Hundreds of billion dollars have been wasted with the attempt of imposing a Anthropogenic Global Warming (AGW) theory that is not supported by physical world evidences....AGW has been forcefully imposed by means of a scare stories and indoctrination that begins in the elementary school textbooks.”

cfr <https://wattsupwiththat.com/2010/11/14/climate-change-the-keywords-part-2-of-3/> Geraldo Luis LINO, geologus Brasilianus, qui scripsit librum a.2009 editum, c.t. est: “The Global Warming Fraud: How a Natural Phenomenon was converted into a False World Emergency”.

## APOCALYPSIS RETARDATA<sup>1</sup>

**Quadam in disquisitione climatologi eminentes confitentur terram lentius calefieri quam ipsi contenderint. Eorum computatra expuerant prognoses falsas. Scripsit *Alex Reichmuth*, in Latinum convertit LEO LATINUS.**



**DEO GRATIAS!  
Climatologi falso calculavere.  
Mundus interibit calculo serius.  
Tardius fient ἐκπύρωσις et κατακλυσμός  
quam prophetizaverunt  
Albertus Goreus  
et  
Iohannes Ioachimus  
Schellnhuber.**

Nunc oportet omnes diurnarii graviore ephemeridibus inscribant titulos, quales sunt: «Mutatio climatis multo minus dramatica est quam erat praedicta!» Nam iis verbis, quae paucis diebus ante edita sunt in periodico speciali, c.t. *Nature Geoscience*, climatologi eminentes confessi sunt se computatralibus suis imaginibus speculativis, quas dixerant esse infallibiles, usos erravisse. Idem homines docti confitentur calefactionem globi terrestris multo lentius progredi, quam nobis praemonendo inculcaverant omnes isti moralistae scientiarum, rei publicae reique diurnariae. Climatologi confitentur homines climatoscepticos (quales dicuntur) recte iudicavisse.

---

<sup>1</sup> orig. „Klima – Entwarnung der Alarmisten. Von Alex Reichmuth. p.45, in: DIE WELTWOCHE. Nr. 39, Zürich 28.September 2017.



Haec disquisitio conscripta est a climatologis octo nationum. Quorum plerique graviter operantur apud Mundanum Concilium Climaticum (IPCC), partim muneribus praecipuis mandati. Itaque hi investigatores unâ cum aliis in Concilio Climatico collaborantibus homines urgentissimê praemonuerant de calamitate climatis globali. At novis rebus cognitis nunc iidem concluderunt generi humano permitti posse, ut plus carbonei dioxydati emitteret, usque dum terra calefieret 1,5 gradibus Celsiusianis: non parte decimâ plus, neque quintâ neque dimidiâ plus – immo: quater ferê plus!



NOVA DISQUISITIO: CALAMITAS CLIMATICA – COLLAPSUS FERVIDISSIMUS IAM A.2011?  
„Praeceptum redactionis praecipuae: Differ! Fabellae climatis terrificae ne publicentur nisi temperatura diurna est minimum 20 graduum Celsiusianorum!“

### **Augmentum temperaturae nimis magni esse aestimatum**

Hoc accidit eo, quod scientistae falso calculaverunt. *Michael Grubb* co-auctor Collegii Universitarii Londinensis vir doctus relatoribus ephemeridis, c.t. *Times*, confessus est imaginibus computatri speculativis augmentum temperaturae nimis magni esse aestimatum. *Myles Allan*, alter vir doctus unâ cum illo disquisitionis particeps: »Calefactionem post a.2000 celerem«, inquit, »quam videmus in imaginibus speculativis, in ipsâ rerum naturâ non observavimus«. Haec si lêgeris, licet stupefactus oculos perfrices: Nunc scientistae eminentes ipso eodem modo loquuntur, quo ex annis loquuntur *negatores climatici*, quibus saepe maledictum erat: *Mutationem climatis his viginti annis esse retardatam. Imaginibus computatri speculativis non reddi res veras, quia quasdam cohaerentias climaticas in atmosphaerâ valentes aut esse ignotas aut non intellegi.*

At missionarii non tam celeriter desistunt a re sibi propositâ. Investigatores confessionem suam occultê êdunt, quadamtenus per pseudothyrum. Itaque novam suam cognoscentiam iidem pandunt sub praetextu tutelae climatis vehementer confirmatae. Climatologi disquisitioni suae titulum inscripserunt, q.e.: *Emissionum via atque dispensatio congruunt cum scopo, quo calefactio ne plus augeatur quam 1,5 gradibus*. Ergo iidem non verbis efferunt mutationem climatis minorem esse, sed dicunt scopos conventi climatis Parisiensis nunc simplicius posse ad veritatem adduci.

*Petrus (Pierre) Friedlingstein* co-auctor Universitatis Exoniensis (*Exeter*) vir doctus a diurnariis stationis radiotelevisificae (BBC) interrogatus: »*Hic nuntius*« inquit »*est verê bonus. Nam verisimile est, nisi calefactio retardaretur, non futurum fuisse, ut scopus calefactionis ad 1,5 gradûs limitandae ad veritatem adduceretur*«. *Myles Allen* a relatore ipsius *Times* interrogatus: »*Multi homines iam senserant hoc fieri non posse*«. At antea ubique terrarum climatologi affirmaverant se convento Parisiensi anni 2015 progressum fecisse magnum! Illo tempore vix audiebatur scopos huius conventi non posse ad veritatem adduci.

Etiam plerique diurnarii – quantum ullo verbo referunt de hac disquisitione novâ – annuntiant hac disquisitione in *Nature Geoscience* publicatâ tutelam climatis confirmari. BBC refert *scopum Parisiensem adhuc esse assequibilem* \*.

In Helveticâ statione radiotelevisificâ (SRF) dictum est resultatum \*\* disquisitionis esse quandam *spêculam*. In ephemeride Helveticâ, c.t.

---

\*

+**assequibilis**, -e: Vincentii Ludovici Gotti Theologia scholastico-dogmatica ... Bononiae 1739, Tom.I, De Ultimo fine seu de beatitudine hominis. Tract. I, quaestio II, § 4, n.11 "Falsum est, Deum esse duplici modo *assequibilem*, uno per intellectum, altero per voluntatem. Nam cum sit indivisibilis, vel totus possidetur per intellectum, et sic non est *assequibilis* per voluntatem..."

\*\* **+resultatum**, -ī n. theod. *Resultat, Ergebnis*; angl. *result*; fr. *résultat*; hisp. *resultado*; ital. *risultato*.

cfr Johannes Tropfke, Geschichte der Elementarmathematik in systematischer Darstellung mit besonderer Berücksichtigung der Fachwörter. tom.1: Rechnen. 3.ed., Berlin u. Leipzig 1930, p.85: „R e s u l t a t ist, wie die Betonung, aber auch der Vergleich mit anderen Sprachen (ital. il risultato, span. el resultado) ergibt, nicht 3.Pers.Praes., sondern das Partizipium resultatum von dem klassischen Verbum resultare – zurückspringen, (als Echo) erschallen lassen, das im Mittelalter die Bedeutung ‚entspringen (aus der Aufgabe), sich ergeben‘ annimmt. So ist es schon festes Fachwort bei PETRUS DE DACIA 1291, bei LEVI BEN GERSON (1288-1344 Avignon) in Briefen REGIOMONTANS (1464). In der substantivischen Partizipialform resultatum hat es PROSDOCIMO DE' BELDOMANDI 1410; üblich wird diese Wendung aber schon lange vor ihm gewesen sein.“ – cfr Anton Ambschell, Elementa physicae e phaenomenis et experimentis deducta, aut attentatione

*Tages-Anzeiger*, monitum est: »Nunc non licet se reclinare. Nam nemo scit, quo in scopo terra sit segura«. Nullo verbo dictum est hac disquisitione publicatâ climatologiam etiam minus fide dignam esse.

Si auctores rem contrariam conclusissent, i.e. calefactionem fortio-rem factam esse si scripsissent, certê hoc quoque resultatum eodem modo esset explicatum: Nunc tutelam climatis etiam magis esse necessariam! Ergo quaecumque resultata a scientistis publicantur: eadem semper dicuntur causae esse, cur emissio carbonei dioxydati quam celerrimê sit deminuenda. In mentem mihi venit vetus illud proverbium:

*Scito gallum in fimeto si audis cucurrere,  
aut bonum caelum aut malum praesagire\*.*

**SCRIPSIT ALEX REICHMUTH,**

**IN LATINUM CONVERTIT LEO LATINUS.**

---

stabilita, in usum suorum auditorum conscripta, ac in dissertationes sex divisa. Dissertatio sexta. De corporibus totalibus. Vindobonae 1807. p.12: "Legem hanc, et rationem virium centripetarum consensus mirus phaenomenorum, quae in systemate occurrunt, cum resultatis calculorum astronomicorum eadem fundantur ratione, eidemque legi universali superstruuntur".

\* Regula rustica iocosa: orig. *Kräht der Hahn auf dem Mist, ändert sich das Wetter – oder es bleibt wie es ist.*

<https://www.youtube.com/watch?v=LMuZGOLNEb4>

## **Vince Ebert de climatologia quid dixerit.**

D.13.01.2014 originaliter publicatum. In Latinum convertit LEO LATINUS.



Etiam in scientiis, quae dicuntur esse liberae, pecunia saepe non distribuitur investigatoribus sagacissimis, sed iis, qui clamitant voce omnium maximâ. Afferam exemplum frequentatissimum: climatologiam. Haec res nunc tractatur vehementissimê. Ex mensibus ephemerides scatent nuntiis climaticis. Albertus Goreus modo accepit ipsum praemium Nobelianum. Ipso in periodico speciali, c.t. est „Bild-Zeitung“, titulus legitur, qui sequitur: „Relatio climatis secreta: Restant nobis 13 tantum anni!“ – Itaque nos omnes sumus perturbatissimi! Ipse vicinus meus, qui alioquin nullâ umquam re commovetur, interim relinquit armarii sui frigidarii thecam gelificam apertam, ut calefactionem globalem retardaret! Et legitur ubique: Nos vixisse sumptibus naturae, nos hunc planetam expilasse, et ideo nunc nos accepturos esse apocham, nonne hoc est intellegibile? Nos culpam contraxisse eo, quod socordes copias energiae per caminum emittentes profundere, negligentes, quid nobis accidat post 13 annos! Itaque vos nunc debetis paenitentiam agere. Quia vos omnes lavacrum pluvium sumere vultis calefactum, vos effeminatissimi! Quia vos nullo modo curatis, quidnam fiat de vestris parentibus – nepotibus, inquam! – Silentium! At adhuc potestis calamitatem impedire! Eo quod veniam petitis. Lampadibus energiae parcendae! At etiam plura facere potestis: Si vobis domi est ventilatrum lacunari affixum, alas ex eo eximite! Eo modo consumitis multo minus fluenti electrici! Et commercium facite emissionum, ut vobis imperat *Sigmarus Gabriel*.

Sigmarus enim Gabriel, patronus tutor bio-benzini dieseliani vobis dicit: „Licet vobis pergere vehi autocineto rapido, quod appellatur *Porsche Cayenne*. At debetis aliquid facere, ut vobis hoc liceat: Oportet alio loco parcatis carboneo dioxydato! Respirando. Per sex septimanas si spiritum retinueritis, licebit vobis per unum diem vehi autocineto *Porsche Cayenne*. Et iam cras oportet in locum electrificinae carbonariae supponatis electrificinam solarem. Licet haec egeat areâ totius Visbadae, sed verus civis Moguntiacensis dicit: „Tanti rem aestimo!” Excusetis, quaeso! Modo paululum loquendo iratus sum. Reverâ hoc thema, id est mutatio climatis, non iam praeteriri potest. Ubique ephemerides completae sunt hâc themate tractato. At quam bonae verê sunt probationes scientificae, quibus probamur nos propter carboneum dioxydatum a nobis emissum post tredecim annos posse Esquimensibus (*Inuitisve*) vendere armaria frigidaria? In hac autem re omnes investigatores graviores perfectê inter se consentiunt. Respondent enim hoc ratione certâ firmâque fieri posse „ f o r t a s s e “. Clima est enim systema intricatissimum, quod constat ex decuriis magnitudinum, quae valent ad clima et mutuas rationes inter se habent intricatissimas. Omnis autem studiosus disciplinae mathematicae scit iam aequationem quattuor magnitudinum ignotarum non esse solubilem. E contrario conventus cum tribus hominibus ignotis factus potest efficere resultata haud mala. Unicum, quod certo scimus, est hoc: Clima mutatur. His 30 annis temperaturae sunt exauctae. Quare, si hoc pergit fieri, nonnullis in rebus efficientur quaedam problemata haud parva. Ex aliâ parte temperaturae altiores non omni ex parte mala sunt. Sumptûs calefaciendi ubique terrarum deminuentur. Tota Sibiria fiet fecundior. Si cogito iter facere ad Mare Germanicum, non iam est necessarium obire Bataviam. Mutatio climatis reverâ fit. At carboneum dioxydatum in hac actione qualem habet vim? Omnino nescio. Historiâ terrae procedente iterum iterumque facti sunt saltûs temperaturae, quamquam nullum carboneum dioxydatum emittebatur. Ut exemplum afferamus: ante 15.000 annos moles glaciales non eâ de causâ licuerunt, quod homines neanderthalenses coeperunt carnes assare (ideoque carboneum dioxydatum emittere). At hoc quomodo fit? Climatologi omnes nos praemonent: cohaerentias maximâ ex parte esse clarê cognitâs. At oportet sciatis climatologiam nequaquam esse scientiam exactam. In circulo doctorum climatologi aliquatenus

habentur pro talibus investigatoribus, quales inter medicos habentur homoeopathi. Probatio, methodi, imagines speculativae – haec omnia apud climatologos aliquatenus sunt incerta et obscura. Hoc si quis non credit, legat relationem climatis mundani. Ibi legitur p.774 – ergo in parte libri extremâ - : „Imagines climatis speculativae operantur systematibus copulatis, non-linearibus, chaoticis. Itaque fieri non potest, ut clima in spatium temporis longius praedicatur. Quid ex hac re concludendum est? Sive contractui assecurationis vis subscribere sive vis mundum servare – primo oportet legas verba parvis litteris impressa! -

**DIXIT VINCE EBERT  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**




## **Tamen non est ab hominibus effecta!<sup>1</sup>**

*Scriptis Alex Reichmuth, in Latinum convertit LEO LATINUS.*



**Jennifer Marohasy**




**John Abbot**

Septimanâ proximâ praeteritâ Helvetica Statio Radiotelevisifica potuit salutare virum climatis peritum sibi gratissimum: *Andream Fischlin*. Qui climatologus Universitatis Technicae Confoederaticiae Turicensis (ETH) in colloquio fideliter dixit verba exspectata. Īdem affirmavit calamitates naturae et tempestatis recentissimas esse ab hominibus effectas. Furacanam procellam super *Houston* saevire? «*Mutatio climatis hîc vim quandam habet.*» Labinam montis in *Bergell* factam esse? «*Procul dubio haec res effecta est mutatione climatis anthropogena.*» Silvam ardere in Europâ meridionali? «*Talia in futurum multo saepius fient.*»

<sup>1</sup> orig.: „Doch nicht menschengemacht!“, Weltwoche (Zürich) Nr. 36/2017 | 07. September 2017

At a televisione Helveticâ necnon ab aliis mediis Helveticis nullum verbum est dictum de disquisitione, quae brevi ante publicata est in periodico speciali *Geo Res J*. At huius disquisitionis resultatam, quod acceperunt investigatores Australiani, est cognitu dignissimum: Calefactionem terrae uno ferê gradu Celsiano factam maximâ ex parte effectam esse causis naturalibus.



Ecce stalagmitae et stalactitae!

## Stalagmitas<sup>1</sup> esse datorum receptacula

*Genoveva (Jennifer) Marohasy* biologa atque *Iohannes (John) Abbot* chemista disquisiverunt series temperaturarum, quae valuerant spatio duorum milium annorum praeteritorum. Hae temperaturae inventae erant anulis arborum annuis<sup>2</sup>, carotis glacialibus<sup>3</sup>, stalagmitis, corallis disquisitis. Genoveva et Iohannes sex series temperaturarum, quae his duobus milibus annorum valuerunt, novâ methodo computatrali pertractaverunt. Haec methodus operatur artificiali retificio neuronali, quo in seriebus temporalibus cognoscuntur

<sup>1</sup> \**stalagmîtēs*, -ae m. Quoad declinationem nominum graecorum ad lapides spectantium cfr asterites, syenites, basanites, e.al. Quadrat prima declinatio, non tertia. – cfr M. Joh. Gottl.Biedermann, *Altes und Neues von Schulsachen*, 1. Theil, Halle 1752, p.129: „...6) Astroitae oder Trochitae, runde Sternsteine, ... *Stalagmitae*, Erbsensteine, 8) Bufonitae, Krötensteine, oder Chinitae, Meerigelsteine... 11) *Stalactites*, sehr zart, und hart wie Knochen. Hat die Gestalt...“ – cfr *A New and Complete Dictionary of Arts and Sciences*: vol.IV, London 1764, p.3051: STALACTITAE...STALAGMITAE...

Eduardus Luidius, *Lithophylacii Britannici ichnographia*, Londini 1699, p.1: „Crystallinis affines dicimus, qui splendoris crystallini quodammodo participant, sed angulis destituuntur: uti stirias lapideas, Papillas speluncarum, Talcum, *Stalagmitas* etc.“ – cfr *Nova acta physico-medica Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae...*, Tomus secundus, Norimbergae 1761, p.182: „...Videbit *stalagmitarum*, stalactitarum, crystallorum congelationumque innumeras extuberationes, concreciones et varietates...“

<sup>2</sup> *ānulus annuus* – angl. *annual ring*, *tree ring*; theod. *Jahresring*, *Holzring*; fr. *anneau annuel*, *cerne*; hisp. *anillo anual*; ital. *anello annuale*.- cfr *Miscellaneorum medico-physicorum sive Ephemeridum germanicarum Annus nonus decimus. Vratislaviae et Bregae 1680*, p.287 *Singuli annui annuli ligni*. ... *Tres annuli annui ligni*...cujusvis annuli annui. – p.288 *Annuli singuli annui ligni*... extra totum *annulum* ligni per singulos *annulos* ligni. -

<sup>3</sup> *carōta glaciālis* – angl. *ice core*; theod. *Eisbohrkern*; fr. *carotte de glace*; hisp. *testigo de hielo*; ital. *carota di ghiaccio*.



regularitates et inde aestimatur, quae eventura sint tempore futuro. Genoveva et Iohannes hac methodo usi sunt iam prius bono cum successu copias pluviae in Australiâ futuras praedicentes.



**Ecce carota glacialis!**

Investigatores in seriebus temperaturarum tractandis cupiverunt scire, quonam modo eadem series mutatae essent, nisi homines carboneum dioxydatum emisissent. Itaque computatro indiderunt series temperaturarum, quae valuerant usque ad annum 1830, quo coeperunt comburi copiae maiores fomitum fossilium. Itaque programmata computatralia nunc quaesiverunt sequentias periodicas in eâ parte serierum, ad quam certê nullum effectum habuerat emissio carbonei dioxydati. Inventum est temperaturam rhythmo sexagenorum ferê annorum mutatam esse nonnullis partibus graduum decimis. Necnon apparuit calefactio et frigefactio fortior et diuturnior: Post phasin calefactionis usque ad annum ferê 1200 valentem, cum tempestas haud frigidior esset quam hodie, temperatura deminuta est uno ferê gradu, usque dum ex anno 1650 denuo exaucta est.

Ex regularitatibus inventis investigatores programme computatrali nixi aestimaverunt, qualis series temperaturarum essent eventurae in futurum. Deinde iidem prognoses comparaverunt cum progressionem temperaturarum post annum 1830 verê factâ. Inventae sunt parvae tantum differentiae 0,1 tantum gradus. Secundum hoc resultatum temperatura mundana, etsi homines nullum carboneum dioxydatum emisissent, exaucta esset 0,6 vel uno gradu. **Genoveva atque Iohannes concluderunt carboneo dioxydato addito effectum**

## **calefactionis multo minorem esse, quam alii climatologi contenderent.**

At ex annis circulus scientistarum eminentium enuntiat non iam dubitari, quin homines ad calefactionem terrestrem maximum habeant effectum omnium.

Disquisitio *Marohasy-Abbotiana* publicata asperê repudiata est: Diurnarius quidam ipsius *The Guardian*, ephemeridis sinistro-liberalis britannicae, scripsit eandem disquisitionem esse reiculam investigationem scientificam (*junk science*), i.e. eandem omnino nihil valere. In symbolâ ipsius *Guardian* climatologi prominentes Genovevae Iohannique obiecerunt nonnulla menda methodi graviora – e.g. dixerunt auctores series temperaturarum esse ultro electas calculationesque falso esse explicatas. Etiam climatologi Helveticae consociationis *Pro Clim* participes hanc disquisitionem reprobant. Consociati ipsius *Pro Clim* a *Weltwoche* ephemeride nostrâ interrogati responderunt series temporarias adhibitâs maximâ ex parte non valere globaliter, sed tantummodo localiter. Praeterea disquisitioni inesse nonnulla *menda crassa*.

### **Periodicum specificum grave**

At *Geo Res J*, periodicum, in quo disquisitio est edita, est periodicum specificum grave et bene famatum. Quod êditur in domo editoriâ *Elsevierianâ*, quae est una ex aedibus scientificis omnium huius mundi eminentissimis. Disquisitio Genovevae atque Iohannis antequam publicata est, criticâ ratione comprobata erat a scientistis independentibus. Editor periodici ab ipso *Guardian* interrogati affirmavit existimatores specificos in disquisitione examinandâ (*peer review*) nulla menda invenisse.

Scilicet oportet qualitas resultatorum scientificorum semper perquiratur. At, quod attinet ad huius disquisitionis vituperationem vehementissimam, suspicamur eandem non solum habere causas merê scientificas: Nam auctores Genoveva Marohasy atque Iohannes Abbot intersunt iis investigatoribus, qui non credant in thesin mutationis climaticae anthropogenaе – idque etiam dicant apertê. Genoveva in quodam commentario interretiali scripsit haec: «*Facta scientifica nequaquam sunt perspicua*» – alludens ad verba quorundam

climatologorum, qui contenderant nullum investigatorem gravem adhuc posse dubitare, quod homo esset calefactionis globalis responsabilem. Genoveva autem biologa addidit haec: «*Reverâ mechanismi physici fundamentales [climatis, adn. redactor] sunt intricati et vix explicati*».

Concedendum est solâ disquisitione Genovevae atque Iohannis nondum esse procul dubio refutatum, quod emissio carbonei dioxydati habeat ullam vim ad calefactionem globalem. Duo investigatores operati sunt novâ methodo computandi, quae quantum valeat non est absolutê certum. Generaliter vis climatis computatro computati semper pendet ex effectu substantiarum chemicarum et e cohaerentiis physicis putativis et e qualitate valorum computatro inditorum.

**At oportet scias climatologos praecipuos de calefactione additiâ praemonentes nullâ re nituntur nisi calculationibus computatralibus, quae a vituperatoribus iam pridem dicuntur esse inutiles. Haec vituperatio non est calumniatio malevola, sed profecto inventa iam sunt menda crassa climatologorum eximiê honestatorum.**

Talium mendorum omnium notissimum est curva *Michaelis Mann* climatologi Americani computationibus computatri usi, quae appellatur *curva rhabdi alsulegiarii*\*. Qua curvâ monstrata est temperatura globalis, quae per multa saecula mansit ferê immutata, sed undevicesimo saeculo subito habuit ascensum arduum et deruptum. Concilium Climatis Mundanum in relatione suâ tertiâ a.2001 publicatâ hanc curvam monstravit loco notabili, ut lectores praemoneret de calamitate climatis. Postea *Stephanus (Steve) McIntyre* Canadianus ingeniarius montanus demonstravit methodos statisticas *Michaelis Mann* ratione mathematicâ esse ineptas. Ita factum est, ut vir delectationis causâ investigans refutaret unum ex huius mundi climatologis honoratissimis.

Resultata *Genovevae Marohasy* atque *Iohannis Abbot* non sunt tam mira et insolita quam fortasse videntur. Resultata enim scientifica, e quibus apparet homines ad clima habere vim opinione multo minorem,

---

\* curva rhabdi alsulegiarii, theod. *Hockeyschläger-Kurve*; angl. *hockey stick graph*.

nequaquam sunt rara. Interdum talia resultata afferuntur ex ipsâ Helvetiâ:

In urbe *Davos* Helveticâ Centrum Radiationis Mundanum (*PMOD/WRC*) invênit vim solis radiatilem ex anno 1950 esse ultra valorem medium magnam, sed decenniis futuris valdê deminutum iri. Mense Martio huius anni Varnerius (*Werner*) *Schmutz* dux huius Centri dixit Stationi Helvetiae Radiotelevisificae (SRF) fieri posse, ut terra dimidio ferê gradu refrigeraretur. Dimidius autem gradus est dimidia pars illius augmenti temperaturae, quod factum esse ex initio industrializationis\* observatum est.

Verisimile autem est futurum non fuisse, ut televisio Helvetica Varnerio permetteret hoc dicere, nisi is statim affirmavisset se credere in mutationem climatis ab hominibus effectam: «*Sol nos non servat, sol maximum nobis dare possit aliquantulum retardationis.*»

Nonne etiam *Galileo Galilei* non permissum esset, ut liberatus abiret, nisi antea iuravisset se non credere solem habere ullam vim?

=====

**HANC SYMBOLAM ALEXANDRI REICHMUTH**

**IN EPHEMERIDE TURICENSI EDITAM,**

**C.T. "WELTWOCHE",**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

---

\* \*industriālizātiō, -ōnis f. theod. *Industrialisierung*.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**





**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM TERTIAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Mercurii, d.18. m.Oct., a.2017**


**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**



**ECCE**

**ALBERTUS GOREUS**

**PSEUDOPROPHETA**

**QUI AEROPLANIS**

**AUTOCINETISQUE**

**RELICTIS**

**TANDEM IPSE**

**CLIMA TUTATUR**